

.xlviij. OMELIA IN NATALE MARTYRUM IN KALENDAS AGUSTI .

UEnerari nos oportet fratres karissimi hanc solemnitatem
machabeorum . quę hodie celebratur et colitur . Macha
bei enim ex iudeis erant . qui in ueteri lege propter dominum
et totius mundi creatorem sacrum sanguinem effuderunt .
exemplum martyrii et passionis pro paternis legibus a deo
iam traditis ostendentes . ante aduentum saluatoris nostri
iesu christi in carne . qui pro totius mundi salute sacrum cruentum
effusurus erat . Ante tempus ergo passionis in gratia mar-
tyrii coronati sunt . Quia ante omnes martyres et ante
omnes apostolos . exemplum patientię et sacre passionis sine metu
mortis primum per dei gratiam tradiderunt ; et ideo coronam
martyrii adepti sunt et glorię . [.ii.] Venerandus est igitur
hic dies kalendarum agusti . in quo passi sunt . Hi nouem
/109r/ martyres . ab antiocho rege in quo et gentili . qui iudeos fre-
quenter impugnabat . quoniam tunc iudei qui erant populi
dei a gentilibus semper impugnabantur . sicut et christiani
nunc tribulationes a peccatoribus patiuntur . Haec sunt
autem nomina illorum . Eleazarus . et felicitas et septem filii eius .
dardanus . dardianus . antiochus . Mentonius . anchius .
anchialius . Heubresius . Quibus contra interdictum
legis domini . ab iniquo rege suella ingestus est caro immun-
da manducari . Vt lex dei quam colebant ab eis maculare
tur . et gentilis ritus et idolorum cultus . In quo erat ille
profanus confirmaretur . Et ideo quia hoc decretum regis
iniqui contempnebant . diuersarum generibus poena
rum et exquisitis tormentorum . cruciatibus . uere . effecit eos
martyres . At illi fortiter et constanter coram deo et an-
gelis eius . passionis certamen propter sacre legis traditio-

nem consummauerunt . quos patris eorum frater cui
nomen erat eleazarus ad sanctam congressionem anteibat .
quia cum amici regis proueternis amicitiis et familiari
tatibus quas cum ipso olim habuerant miserarentur . et ni
terentur adducere ei carnem de qua licuerat ei uesci .
sed tantum simularet carnem manducare quam rex
uesci imperabat ne pateretur . Magis elegit inmacu
latum conscientiam offerre deo et paternarum legum
traditionem seruare . et exemplum forte iuuibus
relinquere et mortem cum uoluntate dei assumere .
quam temporalem uitam ác breuissimam iocunditatem
et caducam lētitiam peccatricis uoluptatis accipere .
cum prēuaricatione diuinę legis et cum crimine aeterne
/109v/ mortis . Et ideo dixit . Quis ego sum eleazarus nonagin
ta annorum . ut transeam nunc et uitam alienigenam .
et per me iusti iuuenes . Ač sí dixisset . Absit hoc
a me et numquam accidat . quamobrem illi qui primo mi
serati fuerant . pro talibus uerbis in furore uesano-
conuersi . adduxerunt illum confestim ad iudicem
et statim passus est . quem septem fratres cum felicitate ma
tre eorum . gloriosa passione consecuti sunt . quos sin
gulos sancta mater exortata est . ne aeternitati ac beati
tudini anteponerent temporariam uitam . que ad eo
illis donanda esse sciebat . Pro gloriosa martyrii
passione quam pro diuina lege susciperent . Et iterum .
de spe resurrectionis in die iudicii consolata est
eos dicens . Nonne uos filii karissimi in utero meo no
uem mensibus portauui . et lac triennii dedi uobis .
Quęso ergo uos accipite caelum et terram et omnia que in
eis sunt . quoniam ex nichilo fecit ea deus . Ač sí dixisset .
aliis uerbis . qui cęlum et terram et omnia elimenta mundi

fecerit ex nichilo . Quanto magis uos in die nouissimo . si pro ipso hodie propria uoluntate passionem sustinueritis sine macula in uitam aeternam poterit reuocare . et quia primum ab ipso spiritum accepistis .
Iterum in perpetuam resurrectionem cum choris martyrum resuscitabit eundem resumentes spiritum uitae . qui postea gaudentes tradiderunt corpora sua . propter deum et paternarum legum traditionem ad supplicia . et meruerunt habere immortalitatis coronam cum martyribus . qui uenerunt ex magna tribulatione et –
/110r/ lauerunt stolas suas in sanguine agni . et candidas eas fecerunt . quos deducet agnus ad fontem uitae . Ubi exterget omnem lacrimam ab oculis eorum . nec postea esurient neque umquam sitient . sed sequentur agnum . id est filium dei quocumque ierit . et cantabunt domino semper canticum nouum . quia nulla in regno celorum spatia erunt .
In quibus illi prohibeantur introire . Nouissime autem omnium sancta felicitas . Post septem filios glorioso martyrio consummata est . Quę martyra primum septies fuit . quia septem filiorum passiones coram se sustinuit . quam maiorum traditione sanctę ecclesię tenere figuram certissimum est . quae ante aduentum domini in carne filios suos per lauacrum sanguinis eorum . ad regna caelestia ante se premisit . Isti igitur machabei sunt primi tiae martyriorum . quorum hodie solemnitatem agimus . et gaudemus quia ad sempiternum nobis exemplum dediti sunt . Vt et nos exempla eorum si pro nomine domini nescesse fuerit pati non recusemus¹ . Immo libenter et cum omni gaudio passionem nostram suscipiamus .
Habemus ergo et nos immunda animalia quę lex

¹ recusemus] corr. from reousemus

uetat . Id est peccata et crimina . quę corpus et ani
mam coinquinant . quę a nobis oportet recusare
et repellere . Quia si machabei in ueteri lege res-
puerunt inlicita . quę magis aliquid indulgentiae .
habere uidebantur . quanto magis nos post inlustra-
tionem aduentus domini peccata atque crimina res
puere debemus . quę si quis nobis ingesserit siue
per uim siue per necessitatē aut per uoluntatē nec omnino
/110v/ nos oportet consentire nec suspicere . sed si necesse fue-
rit pati aut mortem subire . Libenter propter deum accipere
debemus . sicut scriptum est . Magis nos oboedire deo
oportet quam hominibus . Videte ergo fratres karissimi quia illi
secuti sunt exemplum priorum . et contempserunt iussio
nem regis iniqui dicentis illis . Si mihi consenserit
tis . constituam uos sublimes in regno meo . et multum
honorem habebitis coram me . sed illi contempserunt
hęc omnia . propter traditionem patrum et domini mandatum .
et uos igitur debetis sequi exemplum istorum . et pauli apostoli
dicentis . Quis nos separabit a caritate dei? tribula-
tio . án angustia . án famis . án nuditas . án periculum .
án gladius et reliqua . Et iterum dicit . Confido in domino .
quia neque mors . neque uita . neque aliqua aduersitas .
poterit nos separare a caritate dei quę est in christo iesu
domino nostro . Instruamus igitur nos fratres karissimi doctrina sancti
agustini dicentis . Conuertamur ad bona opera . dum
in nostra sunt potestate remedia . Et ut hęc deo auxili
ante possitis implere pacem et ipsi habete et eos qui dis-
cordes sunt ad concordiam reuocare contendite . Men-
daciū fugite . per iurium uelut mortem perpetuam expauesci-
te . Nolite falsum testimonium dicere . Furtum nolite
facere . Ante omnia secundum uires nostras aelimosinam pau-

peribus expendite . Orationem dominicam et simbolum
memoriter tenete et filii uestris ostendite . quia ne
scio qua fronte se christianum dicat . qui paucos uersus
qui in symbolo et in oratione dominica continen-
tur . parare dissimulat et discere . filios uestros . quos
/111r/ in baptismo exceptistis scitote uos fideiusores esse pro ipsis
ad dominum . Omni die dominico ad aecclesias dei cum hu-
militate et silentio et sobrietate conuenite . Si enim
imfelices iudei tanta deuotione célébrant sab-
batum . ut in eo nulla opera terrena exerceant . Quan-
to magis christiani in die dominico soli deo uacare
et pro animarum suarum salute debent ad ecclesias eius
conuenire . Quando autem ad aecclesiam conuenia-
tis . Orate suppliciter pro peccatis uestris . Nolite lites
et scandala concitare . qui enim ad aecclesiam ueni-
ens haec fecerit . Ibi se sanari potuerat . In ecclesia
stantes nolite uerbosari . sed lectiones diuinias pa-
tienter audite . Qui enim in aecclesia uerbosari uoluerit .
et pro sé et pro aliis malam redditurus est rationem . Dum uer-
bum dei nec ipse audit . nec alios permittit audire .
Ubi cumque autem fueritis siue in domo siue in itinere .
siue in conuiuio siue in consessu . Verba turpia et
luxoriosa et scurilitates nolite ex ore uestro proferre .
sed magis uicinos et proximos uestros iugiter cum caritate
ammonete . ut semper quod bonum est et honestum
loqui studeant . Ne forte detrahendo et male loque-
ndo . et in sanctis festiuitatibus choros ducendo . et
cantica mundialia proferendo . de lingua sua unde
debuerant deum laudare . inde sibi uulnera uide-
antur deducere . Isti enim imfelices sunt et miseri .
qui ballationes et saltationes ante istas basilicas

sanctorum exercere nec metuunt nec erubescunt .
et si christiani ad aecclesiam uenerunt . pagani de ecclesia
/111v/ reuertuntur . Quia ista consuetudo ballandi . de pa
ganorum obseruatione remansit . Uidete etiam
karissimi qualis est christianus qui ad aecclesiam ueniens
orare . neglecta oratione sacrilegia paganorum
magis eligit ex ore proferre quam sacra officia hu
militer audire . Considerate ergo attentius
fratres karissimi quod dominus per prophetam dixit . Lauamini
mundi estote . auferte malum cogitationum uestra
rum ab oculis meis . Quiescite agere peruerse .
discite benefacere . Querite iudicium . subueni
te oppresso . iudicate pupillo . defendite uiduam .
et uenite et arguite me dicit dominus . quia si haec uo
lueritis . et me audieritis . bona terrę comedetis .
Et uos igitur karissimi si haec impleueritis . nobis
gaudium una uobiscum facitis . quia feliciter .
ad caeleste regnum peruenietis . In quo non est mors .
neque senectus . neque ulla aduersitas . sed cęle
ste regnum et gaudium sempiternum . et exulta
tio preclara sine fine . per infinita seculorum . Amen .